



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXXVII. Mira dexteritas Ignatij accommodandi se singulis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

plus nascitura inde diffidentia procrearet, quam expectaretur de reprehensione acerba boni. Quod fere tunc evenit cum & ingenium magis impatiens, quam disciplina cupidum, arguit castigatio iusto frequentior; & seueritas nimia obiurgandi, comprimi nescium perturbati animi tumorem manifestat. Quos tamen robusto pectore, & virtute mascula solidos, probabat, habebatque propterea percaros; etiam exilibus de nauis castigare verbis durioribus consuevit, inter quos praecipue Hieronymum Natalem & Ioannem Polancum fuisse video, rara virumque bonitatis, ipsique vnicè dilectos; in quo haec ab tali homine qualem ipsum sciebant, labecularum vituperatio, virtutis pabulum, iis suppeditabat, quos norat profectus heroici auidos, & capaces; debilioribus autem contemnendi sui, & tolerantiae documenta, si quando fieret, vt simili aliaue ex causa perstringerentur, aliqua exprobratione. Verum huic, si fas nominare, artificiosae praestantium hominum increpationi hunc ponebat modum, ne quid de illorum egregia fama detraheret, crebritate illa morosae reprehensionis; è conspectu enim cum abirent, laudabat eos adstantibus, & virtutis gradu quam excelsò starent indicabat, ita iis & sua conseruabatur auctoritas, & admiratio conciliabatur infracti roboris, & ab ictu priuatae publicaeque opprobriationis assiduo maiores animos virisque ducentis.

## XXXVII.

*Mira de-  
votio-  
nis Ignatij  
accommo-  
dandi se sin-  
gulis.*

Suspiciebatur in eo praeterea, illa sagacissima prudentiae cautio, quae se singulorum naturae ac genio sic attemperabat, vt se omnibus non vnum, sed de se vno Rectorum totidem representaret ingenia, & formas, quot essent diuersae illorum quibus praerat formae, & indoles. Solerti enim vultu anatome, ita singulorum dissecabat, & scrutabatur animum, procliuitates, morem, affectuum impetus, & procurus; vt introspiceret eos clare ac penitus, & eorum nemo sibi esset notior quam ipsi. Modum inde cum iis agendi fingebat, seuerum, affabilem; mitem vel tetricum; contractiorem, aut fiducia explicatum, aut demum cuique aptiorem, magisque profuturum, & adhibebat illum facilitate tam prona, & simplici, vt ei & solus, & esse ingenitus videretur: vnde orta quorundam addubitatio, quorum suppressior oculus non satis peruidebat; cur eadem in causa, cum aliis aliter, imo interdum cum eodem diuersè ageret, pro varia eorum opportunitate; ex euentis tamen intelligebatur, quod sanctus admonisset dissimulando, indulgendo, turbando, omnino fieri decuisse. Quoddam autem, minus quantum interfit, ad religiosam gubernationem, inferiores Praepositis esse intimè perspectos, si quem Roma aliò mitteret, eius loci Rectorem docebat per literas quibus esset dotibus praeditus, & quomodo affectus. Atque hanc eandem in aliis ad virtutem ducendis tenebat, explorandi per noscendique viam. Nam etsi constabat vitae illius tenor ex omnium experientia quaecumque possint sanctum effingere, diuexandi sui, precandi, peregrinandi, patiendi assiduitate; voluptatibus diuinis, tentationum incurribus, scrupulis, fastidiis, & visis rerum caelestium, magnisque in aliorum salutem laboribus; quibus in virum euaserat adeo perfectum atque absolutum.



lutum nihil, vt approbaret, vel repudiaret, nisi ex liquida, puraque ratione; tantum tamen cum esset, nunquam de se alios mensus est, sed eos semper multum improbauit, qui esse aliis pro lege decretoria id volunt quod experti sunt sibi salutare, putantque omnes exerrare, qui diuersam ab ea viam terunt, qua ipsi profecerunt. Quasi ciuitas sancta ex vna surgeret, margaritæ vnus, tantum vena, nec ad Dei currum bos, homo, aquila, & leo aptè iungerentur, licet tam indole quam vultu discrepent. Vt ergo aiebat sapius, oportere hominem in agendo, coaprare se negotiis, non sibi negotia; sic in dirigendis ad pietatis culmen suorum animis, ita se partiebatur in singulos, vt ab iis non aliò tendere, quàm quisque illorum crederetur, modo ne contra Institutum irent: quod ei omnium emerebatur fiduciam, ad euoluendos animi sinus omnes, cum nihil ambigerent, quod laudabile, ac bonum reperisset, ex cultum iri ab eo diligenter, haud tamen reuellendum, studio satus melioris, quem forte nec ipsi cuperent, nec Deus ab ipsis minus ad illum idoneis posceret. Suos igitur in huius aut illius præcipue virtutis consecratione, prout cuique conferret promouens, nunquam tamen tepori cuiusquam fauebat, nec sinebat vllum probitate vulgari contentum viuere, quæ dissimulato magnæ vocationis nexu atque imperio; anhelare ad illam ob difficultatem, descriptorum sibi itinerum, ignaua negligit. Quare his instabat continuo, monens, dirigens, carpens, pœnas, examina, exercitia meditationum, & interiorum affectuum coercitionem, iniungens, nec sibi quicquam reliquum faciens quod elaborandæ, perficiendæque illorum sanctimonie prodesset, sed ea moderatione, ne quid supra vires à quoquam exigeret. Cumque ab robore adhuc puerili gigantis virtutem scitè discerneret, inde modum petebat oneris imponendi; & placidum, austerum; summum ius, & indulgentiam ex præuiso illorum profectu dimeticiebatur. Homines itaque perspectæ, duratæque patientiæ in ardua & difficilia, liberaliter conicere; mittere in longa, & molesta itinera, & graues Apostolica operæ labores; extremæ inopiæ, & aduersantium petitionibus obiectare. Imbecillis contra, & fere nouitiis, ne abiectioris animi fierent, leuiora semper quàm ferre possent committere; sed eo quandoque indicio quo intelligerent haberi se delicate virtutis, & teneræ, ac vel ipso pudore, maiores Spiritus ad grandia sumerent, virisque perfectis digniora. Sic enim Bernardo Iaponi, quem in Europam, sacro fonte ablutum Xauerius miserat, quamuis plurimum roganti, laboriosum munus haud lege alia permisit, quam data fide, si molestum sensisset, aut onerosius, id se illico manifestaturum, nempe adhuc is tiro non solum in Societate sed in Christi fide, cautione hac indigebat. Nec dissimili moderatione, pedo, aut fistula, castigandis ouibus utebatur, in quo interdum animaduertus est, aspectu solo infirmiores corrigere; doctus quod vellet, oculis eloqui, & quod de Christo respiciente Petrum Chrysostomus, *vocem per ipsum intuitum emittens*. Ino coldeni aliquando etiam laudibus emendabat; vt nouitiū quendam, mobilibus oculis agrè imperantem



rantem beneuolè compellans , cur tu mi frater Dominice : quam tibi Deus largitus est modesti animi compositionem non etiam in oculo geris ? At multum diuersè Oliuerium Manareum , diu iam in Societate , & virtute eximia versatum. Amabat is Ignatium vt Patrem, venerabatur vt sanctum, Roma vero Lauretum abiens nouum illic Collegium rectorus , faustam eius adprecationem sub discessum , dum petit, fixos perpetuo in eius faciem oculos tenuit , veritus ne tunc eius salutandi postremo officio fungeretur, nec esset illum deinceps in terris aspecturus. Quod ab Ignatio notari tunc quidem minimè visum est. Verum iam domo exeuntem Polancus eius notarius reuocat , monet displicuisse non parum viro sancto , illam fixi obtutus , parum modestam libertatem , cupere ab eo emendari ; ad hoc quotidie admoueri examen singulare ; in admissi expirationem , & cautionem in posterum, pensum precum certarum quotidie exsolui ; de vtroque ad eum dari quot hebdomadis literas : fecit quod mandatum fuerat Manareus quindecim totos menses , demumque tunc cessare permissus.

## XXXVIII

*Quomodo tirones exerce-  
ret, maxime  
si forent au-  
sheritatis  
aliquis.*

Tirones præsertim iuniores: velut insitias teneritatis primæ plantas quibus multum adhæret de natiuo solo , dexteritate mitissima tractabat, vtque illis Deus cœlestium nectare voluptatum , caducarum fastidium inducit, & dulcibus lacrymis , piisq; solatiis debiles sustentat , quæ postquam coaluerint firmiter , retrahit , parciusque largitur ; sic mitem se fere, atque affabilem iis exhibebat Ignatius , illisq; miserans , non aliud ab iis exigebat, quàm quod repræsentare tunc poterant , dum id quamuis exile , fructus non vulgares virtutis egregiæ spondere videretur. Admissus fuerat in tyrocinium ad domestica opera iuuenis, cui erat satis copiosa & commoda res; Christi effigiem de cruce pendentis & extantis in basi Deiparæ , secum is tulerat , magni vtramque pretij , & qua mirificè afficiebatur , tum propter excellentiam operis , tum ob sensum priuatæ pietatis. Hanc penes se haberet , indulgit vir sanctus , nec vilo indicio inuit vel id parum decere religiosam paupertatem , vel aliquando ab eo auferendum. Creuit adolescentis virtus etiam supra veteranos valido præsertim suimet domitu , & contemptione. Quod vbi aduertit Ignatius , bene est ait , iam quando integrè non modo ab sæculo est liber , verum etiam à seipso , potest Christi effigies quam mente nunc gerit , illius è manibus detrahi. Factumque ita est iuvene vltro etiam cedente absque vilo profus difficultatis sensu: Sed mirabilior patientia viri sancti fuit leuitatibus perfrendis Petri Ribadeneira admodum iuuenis , cuius tunc viuacior indeoles , agrè virtutum interioribus studiis animum applicabat , nec pati poterat tenacem tot regularum disciplinam ; quare Ignatio suadebant Patres , eum dimitteret , at is sagaci præfagio , de soli natura , prouentus diuinans magnos , & nobiles ; magisq; adolescentulum , ætatis quatuor animi vitio errare , semper illi patrocinatus est , interea tolerans , & pueriles eius emendans papulas , ad id vt illum , aut inflatis offensum poenis , aut vitæ genus tam triste pertasum , urgentemque identidem dimitti , solerti semper amabilitate restituerit in gradu,